



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 10. Sanctus Augustinus non erravit asserendo, peccatum originale esse
causam reprobationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

Recentiorum impetum Magni Parentis sententiam propugnat, eorumque & in censurando audaciam, & in impugnando debilitatem ostendit, idem quoque præstitit Carolus Moreau noster Bituricensis in vindiciis pacificis. Ego Recentiorum accusationes cum veterum Theologorum, & quidem Principum iudiciis conferre volo, nam qui exactam Augustinianæ sententiæ defensionem desiderat, Cerdentem legat.

Igitur Ludovicus Molina, in tract. de Opere sex dierum disp. 1. ita de Augustini explicatione iudicat: *Exponere in eo sensu Scripturas, est sanè earum auctoritatem enervare, & ludibrio fortè eam coram infidelibus exponere.* At non ita abjectè de Augustini interpretatione sensit Magnus Theologia, imò Ecclesiæ Doctor Sanctus Thomas in 2. sent. dist. 12. q. 1. art. 2. *Hayum igitur, inquit, expositionum prima Augustini est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturas defendens.* Alterum ejusdem Angelici Præceptoris textum mox laudabo, in quo contraria prorsus scribitur, quæ de Augustino Recentior ille affirmavit. Cornelius à Lapide censoris personam contra Augustinum induens ait: *Contrarium docent omnes alii Patres, idque omnino vincit simplex, & historialis narratio Moysi; quare erroneum tam est dicere omnia uno die esse creata.* Verum Augustino consentit Albertus, qui ob multiplicem, ac mirabilem literaturam Magni cognomento insignitus fuit, his planè verbis: *Sine præiudicio sententia melior videtur Augustino consentiendum.* 1. part. Summæ q. 12. de quatuor coævis. Addit Sanctus Thomas proximè laudatus: *Hæc opinio Augustini plus mihi placet.* Ita-ne, Corneli, sententia illa, quam Albertus Magnus, ac Sanctus Thomas Scholasticorum lumina, ac columina probant, & sequuntur, hæc ætate erronea evasit? Quenam illam Synodi? Qui Romani Præsules? Quæ Doctorum Academiæ proscripserunt? An quia tibi, cuiusque displicet, erronea censenda est? At scito Recentioribus Augustinianis Doctoribus probari Cerdenti, Moreau, atque Ludovico ab Angelis Doctori Conimbricensi lib. 5. de Virâ Sancti Aug. cap. 9. ubi alios Patres, qui Augustino eâ in re consentire, producit, atque in Molinam ob Patrem reprehensum invehitur. Tertius Augustini accusator Arriaga clamat: *Explicatio hæc censetur ab omnibus improbabilis, nec ego dubito, quin si Augustinum non haberet Patronum, manifestè damnata fuisset, ut hæretica:* Tom. 2. in 1. p. disp. 28. num. 40. At Recentioris hujus voces comprimunt duo Parisiensis Scholæ Theologi præcipui Sanctus Bonaventura, & Agidius Romanus. Ille quidem in 2. dist. 13. art. 1. q. 1. scribit: *Quamvis autem hæc positio probabilis esset, & rationabilis, Catholicis tamen tractatores, qui Augustinum secuti sunt, viam aliam approbaverunt magis.* Ille verò 1. p. Hexam. cap. 28. *Non autem, inquit, ista dicimus, ut improbenus opinionem Augustini, quæ est valde subtilis, & solennis.* Sed quid tandem dicat ille Augustini censor Moraines audiamus. Ille quidem recitans catalogum errorum Sancti Patris, hunc primo loco posuit: *Sensit ille mundum in instanti creatum fuisse &c. quod non convenit cum scriptis à Moysè cap. 1. Genesios, ut ostendunt accuratioribus Theologi, speciatimque Suarez, Molinas, MARTINON (ita semet inter accuratioribus Theologos recenset) communiterque rejicitur à Doctoribus Catholicis.* Disp. 12. Anti-Jans. num. 32. Sed non ita iudicavit Dionysius Carthusianus, dum in cap. 1. Gen. art. 5. scripsit: *Augustinus excogitavit quandam expositionem subtilem, per quam defendit scripturam ab irrisione huiusmodi, & tamen salvavit scripturæ,*

& fidei veritatem. Et antè ipsum Sanctus Thomas recitata Augustini, & alterà aliorum Patrum explicatione inquit: *Utrumque sensum circumstantia libri patitur:* In 2. sent. cit. Næ Sanctus Thomas, Albertus Magnus, Sanctus Bonaventura, & Agidius Romanus inter accuratioribus Theologos minime recensendi sunt? Erunt-ne illi de ultimâ Theologorum plebe, Senatores verò Suarez, Molina, & Martinon? Imò omnium nobilissimi illi sunt, quibus & Suarez, & Molina assurgant, Martinon verò nec eadem cum illis die nominetur.

Illud quidem Principum Theologicæ Scholæ iudicium de Sancti Augustini interpretatione fuit, cui sanè alii ante Augustinum viam aperuerant. Philo Hebræorum Plato communem sententiam de opere sex dierum non modò rejecit, verum etiam irrisit lib. 1. allegor. inquit: *Rusticane simplicitatis esse, putare sex diebus, aut utique certo tempore mundum esse creatum.* Ex Græcis Clemens Alexandrinus lib. 6. Strommatum eandem explicationem secutus est, quam apud Latinos noster Augustinus quàm maxime illustravit. Illam etiam tanti fecere universi Scholastici Doctores, ut magno studio adlaborarint in explicandâ sententiâ Augustini de cognitione illâ marutinâ, & vespertinâ rerum, nempe in divinâ naturâ, & in se ipsis. Ita de vero Augustini sensu inter se non leviter litigant Doctores Scholarum Principes Albertus Magnus 1. p. Summ. q. 12. art. 6. & 7. Sanctus Thomas 1. p. q. 58. art. 6. & 7. Bonaventura 2. dist. 4. art. 3. q. 1. Scotus 2. dist. 3. q. 9. Agidius 1. p. Hexamer. cap. 29. & ceteri communiter, quos non sine laude in eadem Augustini mente indagandâ imitati sunt Jesuiticæ Scholæ Duces Suarez lib. 1. de Opere sex dierum cap. 10. Vasquez 1. p. disp. 51. cap. 2. Mitto hæc quæ ex Cassiodoro, Isidoro, Junilio, aliisque in commendationem Augustinianæ explicationis adducunt Lusitani nostri Doctores Cerda, & Ludovicus ab Angelis. Pater Macedo in altero Theologico Tomo Collationum de Angelis, qui jam prælo paratus est, doctissime Sancti Patris interpretationem defendit, ubi plures Recentiores laudat, qui Augustini sententiam amplexati sunt: Collat. 6. dist. 2. Interim legendus omnino est idem Augustinus lib. 12. Confess. ubi à cap. 14. usque ad 32. quo liber ille clauditur, justam sibi apologiam paravit, quâ suas in Moysen interpretationes fugillantes solide confutavit.

S. X.

Sanctus Augustinus non erravit asserendo, peccatum originale esse causam reprobationis.

A Desdum Lector, nam immanem prorsus Augustino errorem objicit Adamus, dum cap. 3. pag. 584. & cap. 6. pag. 614. scribit, Augustinum sensitisse, solum peccatum originis esse causam reprobationis damnatorum. Postea cap. 10. pag. 667. hanc eandem Augustini sententiam sequenti censura perstringit: *Sed si iste Doctor, nempe Augustinus, adderet, peccatum originale esse solam causam reprobationis, & esse id, quo ad salvatos à damnatis separandos morietur Deus, non solum pro hujus opinionis defensione mortem oppetere nolo, sed credo mihi licere illam horrere, quia mater est illius quam Calvinus, tam à impietate, ac rabie urget contra Ecclesiam.* Quis autem sit iste error Augustinianæ sententiæ filius subtrahit, fat enim illi fuit Sancti Doctoris assertum Calvinismi agnatione objectâ, non suspectum modò, sed & exosum reddere. Porro quicumque

iste error fingatur ex illâ sententiâ Sancti Doctoris illatus à Calvino, interrogatum velim Adamum, num ex thesi Sancti Augustini de reprobatione ex originali solo peccato orta Calviniana illa opinio deducatur verè, an apparenter tantum? Si primum dicat, tunc faciet Augustinum ex Ecclesiæ Doctore Calviniani erroris Magistrum, quod impium est cogitare. Si verò alterum affirmet, videbit, Sancti Augustini sententiam non modò reapse non esse Calvinianæ hæreseos, ut perperam putat, matrem, sed neque affinem, & optimè cum Calviniani erroris confutatione posse componi. Undè igitur, Adame, tale monstrum finxisti? an quòd ita Calvinistæ arbitrantur? Sed si horum præjudicia sequeris, jam poteris universam Augustini doctrinam, imò & sacros codices compendio horrere, nam Calvinistæ quotquot hæresum portenta nutriunt, ne veterum patrocinio nudati videantur, sub Sacra Scripturâ, atque Augustinianâ togâ quibusdam veluti laciniis eadem obvolvère totâ arte conantur.

O utinam hocce Calvini effatum ex Augustini sententiâ deductum protulisses, nulla nobis ejusdem refellendi difficultas esset, qui tenebras non invehi, sed fugari Solis præsentia novimus! Sed cum nullum tale dogma appellaveris, eo silentio non obscurè significasti, non esse illud quidè Augustinianæ sententiæ filium, sed è tuo cerebro natum figmentum, si tamen vigilans illa scripsisti. Sed age videamus, quam longè Sancti Augustini sententiâ de reprobatione ex solo peccato originali ortâ, distet ab errore Calvini. Certa Sancto Augustino sententiâ stetit, reprobationem supponere necessariò peccatum saltem originale. Quare verians illa Pauli ad Rom. 7. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali &c.* Jacob dilexi, Esau autem odio habui, in quibus verbis reprobatio Esau designatur, eandem peccatum originis supponere docuit. In Epist. 105. ait: *Quid oderat in Esau antequàm fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. scribit: *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem.* Quod quidè peccatum non esse factum à Deo, qui bonorum tantum est auctor, ibidem probat concludens: *Odit enim in eis impietatem, quam ipse non facit.* Quare nullo pacto Deum futurum justum asseverat, si homines reprobarer nullo in ipsis existente peccato: *Ut autem odisset Esau, nisi injustiæ merito, injustum est.* Ibid. Et Epist. 106. ad Paulinum: *Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea vasa fierent in contumeliam.* Idem habet Epist. 157. ad Optatum: *Merito autem videretur injustum, quòd sunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quòd ergo sunt indè nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam.* Hinc contra Pelagianos urget, Deum futurum injustum, si pueros morientes sine peccato originis, licet non forent baptizati, damnaret, dicens: *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est:* Lib. 3. contra Jul. cap. 18. Plurima ad hoc ipsum probandum Sancti Patris testimonia passim obvia sunt. Ergo hæc fixa, constansque Augustino sententiâ fuit, neminem à Deo antè prævisionem peccati saltem originalis reprobari. At Calvinus in contrariam prorsus partem ivit dicens, Deum suo decreto homines non solum reprobare antè prævisum eorum peccatum, verum etiam ex divinâ reprobatione hominum peccata fieri. Id fusè tradit lib. 3. Instit. cap. 22. & 23. Dabo nonnulla testimonia. Scribit

cap. 23. §. 4. *Fateor sanè in hæc, quâ nunc illigati sunt, conditionis miseriam Dei voluntate decidisse universos filios Adæ, atque id est, quòd principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinam voluntatis arbitrium.* Et §. 7. *Disertis verbis hoc extare negant, decretum fuisse à Deo, ut suâ defectione periret Adam.* Et postea: *Decretum quidè horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præscripserit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequàm ipsum conderet, & idcirco præscripserit, quia decreto suo ordinaverat.* Item §. 1. *Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum aliòd transferre, quam ad arcanum consilium Dei.* Et cap. 22. §. 11. *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordiâ dignetur, nisi quoniam illi ita placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem.* Præterea cap. 23. §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cum Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas.* Nos verò indè negamus ritè excusari, quandoquidè Dei ordinatione, quâ se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas nobis quidè incognita, sed illi certissima. Hoc idem, & copiosius repetit in libro de æternâ Dei prædestinatione pag. 917. Editionis Genevensis anni 1552. *Quomodo autem Dei præscientiâ, & decreto statutum fuerit, quòd de homine futurum erat, neque tamen in culpa societatem trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel auctor sit, vel approbator, cum longè altius humanæ mentis perspicaciâ esse arcanum palàm sit, ne ignorantiam fateri pudeat.* Hinc Zanchius lib. 5. de Nat. Dei cap. 2. ait: *Fuit hoc primum, quòd de reprobis constituit Deus ab æterno, nempe quorundam hominum ad exitum sempiternum destinatio, ad hoc autem ordinata fuerunt ipsorum peccata.* Ergo Calvini sententiâ est, Deum suo immutabili decreto homines in peccata impellere; undè reprobatio Dei antecedit prævisionem peccatorum, quæ ut ajunt, sunt effectus ipsius reprobationis. Sed quid pluribus ago, quasi Calvini opinio omnibus nota non sit, cum idemmet Adamus cap. 14. pag. 725. apertè id fateatur, scribens Calvinum dicere: *Deum subtrahere lumen, & gratiam necessariam ad salutem omnibus illis, quorum damnationem decrevit antè, vel post visionem peccati originalis.* Porro si Sancti Augustini, & Calvini sententiæ contradictoriè opponuntur, quò longius ab illo Calvini errore, quemcumque fingas, recedere possumus, quam accedendo ad sententiam Sancti Doctoris è diametro cum Calvini errore de reprobatione malorum antè prævisionem peccati pugnantem? Et tamen, si superis placet, ausus est Adamus eam Augustini sententiam Calvinianæ hæresi non propinquam publicare, sed propinquissimam, matrem enim hæreseos asseveravit, cum tamen Calvinistas validè premat, ac suffocet. Decretum hoc Calvinianum reprobos in peccata compellens, mater est omnium errorum, quos in materiâ de prædestinatione, gratiâ, & libero arbitrio Calvinus congestit. Indè enim hominis libertas evertitur, necessitas ad peccandum imponitur, fatale decretum Stoicorum inducitur, Deus criminum Auctor publicatur, & mille hujusmodi errorum portenta nata sunt, quorum nullum ex memoratâ Sancti Patris sententiâ derivat.

Est igitur celebris, ut ait Joannes à Sancto Thoma, sententiâ Sancti Augustini, peccatum originale fuisse causam reprobationis omnium damnatorum, quam sæpè docuit Sanctus Pater, Epist. 105. ad Sicutum. 106. ad Paulinum. 157. ad Optatum, in Enchir. cap. 98.

& 99.

& 99. Lib. 2. ad Bonif. cap. 7. Alia plurima loca designat Cortina Patris Macedo thesi 20. Augustinum secuta est ejus schola, Fulgentius lib. 1. de Verit. prædest. & grat. statim post initium, Prosper ad septimam objectionem Gallorum, Africani Patres in Sardinia exules in Epistolâ Synodicâ cap. 6. Sanctus Thomas q. 6. de verit. art. 2. ad 9. undè uti ad mentem Angelici Præceptoris eandem defendunt præclarissimi Dominicani instituti Theologi, Thomas de Lemos, Illustrissimus Godoy, Jo: Baptista Gonettus Tom. 4. Clypei Thomistici disp. 5. art. 3. qui priores illos ex suis Doctores citat. Sed ex Societate Augustino astipulantur Suarez in 1. p. lib. 5. de reprob. cap. 5. Vasquez disp. 95. cap. 4. num. 17. & cap. 9. num. 60. licèt varient inter se circa modum, quo peccatum originale sit causa reprobationis; hic enim dicit esse peccatum originale prout est in primo parente, quo gratiæ congruæ negationem nepotibus meruit; ille verò eam vim demeritoriam ipsimet peccato originali, prout inficit singulos quosque, inesse arbitratur. Melius Didacus Ruiz Recentiorum eruditissimus id ipsum explicat, ac latè defendit disp. 14. de prædest. sect. 4. & seq. Sed ad objectionem Adami repellendam referam decretum, quo Augustini sententiam de reprobatione ex peccato originali oram Theologi Societatis defendere jussi sunt à Claudio Aquavivâ Præfecto totius familiæ. Olim, ut capite 3. §. 7. diximus, impressus est liber de ratione studiorum Societatis Romæ anno 1586. universis propositus, ut regula & discendi, & docendi post annum sex insignium Doctorum Societatis disputationem, ac longissimum examen. Ibi autem in titulo de opinionum delectu regulâ 6. pag. 14. proponitur, & eligitur definienda, & tradenda universæ Scholæ Societatis hæc propositio 12. *Non solum ex parte nostrâ nulla fuit ratio, seu conditio prædestinationis; sed neque absolute dicendum est, esse in nostrâ potestate, ut prædestinemur, nec salvi fient ulli, nisi prædestinati. Et 13. Reprobationis, quâ ceteri homines excidere ab ultimo fine permisi sunt, causa fuit peccatum originale.* Hæc ibi. Jamne vides, jamne sentis, Adame, quæ sit sapientissimorum veterum tuorum Theologorum reverentia ergà Augustini sententiam de reprobatione ex solo originali peccato primitivis derivatâ, quam tamen præ tuâ singulari pietate, eruditione, ac zelo horrere te dicis, uti Calviniani erroris matrem? Plurimi quidè Theologi varios modos excogitarunt, quibus eam Sancti Patris doctrinam explicarent, atque defenderent. Dominicus Bannez 1. p. q. 23. art. 5. quinque explicationes refert, quarum nullam probat. Quinque etiam modos recenset Gonettus cit. §. 6. quos singulos in ipsorum probabilitate relinquit. Ego juxtâ doctrinam Sancti Augustini ita difficillimi mysterii solutionem propono; neque enim facile est, divinæ voluntatis arcana rimari, quis enim consiliarius ejus fuit?

Certum dogma est, hominem ex peccato primi parentis evasisse massam perditionis, ita ut seclusâ gratiâ Redemptoris nunquam indè suis viribus potuisset resurgere, quod olim ab Innocentio I. & Africanis Conciliis contra Pelagianos statutum fuit. Evaserant igitur omnes homines in Adamo naturâ filii iræ, subjecti potestati Dæmonis, inimici Dei, & indigni qualibet gratiâ, facti objectum divini odii, atque vindictæ. Potuisset summa Numinis justitiâ qualibet vel minimâ gratiâ negatâ in æternum genus humanum originali peccato infectum perpetuâ damnatione punire. Docuit hoc Augustinus sapientissimè,

In Enchir. cap. 99. *Universum, ait, genus humanum tam justo judicio divino in apostolica radice damnatum, ut etiamsi nullus indè liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam, & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissimâ derelictis ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quò etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret.* Similia habet lib. de Corr. & Grat. cap. 10. lib. de Dono persever. cap. 8. initio, lib. de Prædest. Sanctior. cap. 8. Hæc exemplo Angelorum malorum confirmat cap. 27. Enchiridii: *Et si quidem, inquit, in melius hominum reformationem nullam prioris esse voluisset, sicut impiorum nulla est Angelorum non immeritò fieret.* Itaque in illâ massâ perditionis homo evasit indignus totâ serie gratiarum, quas inter primæ sunt gratiâ justificans, per quam homo accedit ad Deum, & gratiâ perseverantiæ finalis, per quam homo non amplius potest recedere à Deo. Homo igitur ex peccato originali incidit in privationem gratiæ justificantis, & in privationem potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum in semel acceptâ gratiâ justificante, quæ privationes, cum respiciant diversas formas, diversæ etiam sunt inter se, & una sinè alterâ donari à Deo potest, ut certum est ex fidelibus, qui damnantur, quibus dedit Deus gratiam justificantem, illis tamen negavit gratiam perseverantiæ finalis. Hinc perseverantiam esse ex speciali auxilio Dei, docuit Tridentina Synodus Sess. 6. can. 22. & olim Arausiana II. can. 10. Duce Sancto Augustino, qui Catholicam veritatem integro volumine de Dono perseverantiæ inscripto, solidissimè contra Semipelagianos propugnavit. Porrò hæc est differentia inter utramque privationem, quòd privatio gratiæ sanctificantis vel est ipsamet formalis ratio peccati, vel est necessariò connexa cum peccato. Altera verò privatio, nempe potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum stat cum gratiâ sanctificante. Sancti enim orant, ut Deus donet illis perseverantiam, non igitur illam habent, ut probat Augustinus cap. 23. per totum; aliàs enim non esset speciale Dei beneficium à gratiâ justificationis distinctum; undè per gratiam sanctificantem non tollitur ipsa privatio potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum. Hæc verò privatio est in pœnam primi peccati, sicuti etiam privatio subjectionis concupiscentiæ respectu rationis, & licèt in baptismo nihil est damnationis iis, qui verè conspulti sunt cum Christo per baptismum in mortem, ut ait Tridentinum in decreto de peccato originali, quod dixerat antè Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 10. *Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Jesu, non id intelligitur de pœnalitatibus, ita enim loquuntur Theologi, sed de culpâ, cujus nihil remanet post baptismum: illæ enim etiam post baptismum remanserunt.*

Hanc privationem relictam esse in pœnam primi peccati adeò notum est in Sancti Augustini sententiâ, ut vel ipsi Semipelagiani hoc ex Augustino supponere solerent contra ipsum arguentes. Etenim cum probare vellent, Adamum, eò quòd perseverantiæ donum non acceperit, sinè culpâ cecidisse, solitam, ac familiarem Augustino responsonem præeludentes ita instabant, teste Hilario in Epistolâ ad Augustinum: *Neque enim dici potest idè non accepisse, quia non est discretus à massâ perditionis gratiâ largitate; nondum quippè erat illa in genere humano perditionis massâ, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiosa.* Ergo supponunt juxtâ mentem Sancti Doctoris, privationem potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum

esse poenam massa peccato originali infectæ; cui argumento solvendo Sanctus Doctor aurea illa tria capita de Correctione & Gratiâ, nempe 10. 11. & 12. exaravit. In illo cap. 11. palam concedit, auxilium ad perseverandum in poenam peccati deesse, quod tamen non potuit deesse Angelis, vel Adamo: *Si autem, inquit, hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere, si vellet, non utique suâ culpâ occidissent; adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam poena peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur.* Non potest autem intelligere Augustinus, nisi in poenam peccati originis donum perseverantiæ negari; nam baptizatus enim primum lethali peccavit, caruit dono perseverantiæ in bono semel accepto, ergo in poenam peccati originalis fuit à Deo denegatum. Idem tradit latè cap. 8. de Dono perseverantiæ, ubi quærenti, *cur quibusdam, qui enim coluerunt bonâ fide, perseverare usque ad finem non dedit,* respondet, perseverantiâ non esse debitam naturâ, sed esse gratiam, quæ potest negari; cur autem negetur, tradit initio capitis: *Ex uno quippè, inquit, omnes in condemnationem non injustam iudicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligit, qui non liberatur, debitum agnoscat.* Hanc perseverantiâ tam magnum beneficium vocat lib. de Corr. & Grat. cap. 8. in fine, & hac solâ discerni electos à massa perditionis probat ex professo cap. 8. & 9. illius libri, & rursus lib. de Dono persever. cap. itidem 8. & 9. Hinc cap. 7. de Corr. & Grat. ait: *Ac per hoc & qui Evangelium non audierunt, & qui eo auditio in melius commutati perseverantiâ non acceperunt &c. non sunt ab illâ conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Et postea statim: *Ab illâ perditionis massa, quæ facta est per primum Adam debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratiâ Salvatoris accepit.* Igitur ex Augustino ex Adæ peccato incidimus in privationem doni perseverantiæ, quod gratuitò tantum à Salvatore prædestinatis donatur. Privatio vero hujus tam magni beneficii est causa damnationis illativa; quicumque enim caret dono perseverantiæ damnabitur; undè aperte deducitur, peccatum originale esse causam reprobationis. Uno verbo concludo, Carentia doni perseverantiæ est causa damnationis, sed peccatum originale est causa carentiæ doni perseverantiæ, ergo peccatum originale est causa damnationis. Minor est Augustini, & superioris etiam probata est, quia per peccatum originale homo est indignus totâ serie gratiarum, & licet sit baptizatus, adhuc habet privationem doni perseverantiæ, quæ est speciale Dei beneficium. Major non ita intelligenda est, quasi illa carentia sit causa per se damnationis, sed tantum tanquam non removens prohibens; homo enim iustificatus, si tentatione gravi pulsatur, & stet sub privatione potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum, infallibiliter succumbet, ni Deus speciali auxilio donet vim perseverandi, quod auxilium, cum ex primo peccato non debeat homini, iuste à Deo negari potest. Vide quæ dixi superius c. 3. §. 6.

Hæc sententia de reprobatione ex peccato originali ortâ deducitur etiam ex Epistolâ Synodicâ Patrum Africanorum in Sardinia exilium, ubi cap. 6. inquit: *Dixistis itaque, quod vobis dicentibus, quod Esau & Jacob necdum natis, Jacob per misericordiam gratuitam eligitur, Esau autem originali peccato detentus*

justo iudicio Dei est odio habitus: Illi è contrario dicunt in Esau figuram esse populi Iudeorum ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacob verò figuram esse populi Gentium ex futuris operibus bonis salvandi. Hac duo, quæ singula proponitis, bonum est, ut Catholicâ consensione jungatis. Itaque per ipsos Catholicum est dicere, Esau originali peccato detentum iusto iudicio Dei esse odio habitum. At cap. 7. scribunt: *In Esau verò iudicium justæ severitatis ostendit: qui Sacramento quiddam circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit, illius ibi iudicio derelictus, qui gratis salvatus, iustèque damnatus.* At Esau non est detentus originali peccato secundum reatum, ergo secundum aliquid ab ipso originali causatum, est enim derelictus iudicio Dei, quod est carere dono perseverantiæ; nam ut supra inferebam, permissio primi peccati actualis fit iusto iudicio Dei negantis donum perseverantiæ in bono iustitiæ per baptismum acceptæ; at ex Augustino illud donum negatur in poenam peccati non actualis, nam de primo peccato actuali loquor, ergo in poenam originalis. In eadem explicatione est Sanctus Gregorius Papa in Plal. 101. ad versiculum: *Quia cinerem tanquam panem manducabam,* sic enim ait: *Et cum iuxta Apostoli sententiam, neque volentis, neque currentis, sed miserentis fit Dei, alios qui corruerant misericorditer erigit, alios, qui stare videbantur, cadere iuste permittit.* Ex peccato nanque primi parentis accepimus, *ut ne in ipsâ iustitiâ stabiles esse possimus.* Quod idem est, quod dicebam, subisse nos privationem potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum, quæ non auferitur nisi ex speciali auxilio Dei. Lege Sanctum Prosperum in resp. ad 7. Gallor.

Igitur præcipuæ poenæ relictæ ex peccato originali sunt concupiscentia, & privatio potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum. Concupiscentiam relictam esse ad agonem dogma fidei est, ex Tridentino in decreto de peccato originali, quâ de re eleganter Augustinus lib. 2. contra Jul. cap. 4. *Contra quam regeneratus, si iam ratione utitur, illo spectante, atque adjuvante velut in agone confligit, quia virtus in infirmitate perficitur, dum contra hoc nostrum, quod à iustitiâ deficit, illo nostro, quod ad iustitiâ proficit, dimicatur, ut vincente profectu totum surgat in melius, non vincente defectu totum vergat in pejus.* Idè verò hæc pugna poenalis nobis iusto Dei iudicio relicta est, ut homo propriam infirmitatem cognoscens elationem illam, quâ olim in paradiso contra Dominum superbiit, deprimeret, atque divinum auxilium supplex imploraret. Audi Augustinum lib. 4. contra Jul. cap. 2. *Sed quia in istâ humanâ miseriâ peior hostis est cavenda superbia, ideo nimium non penitus extinguatur in carne continentium sanctorum illa concupiscentia, ut cum pugnatur adversus eam, periculum suorum animus admoneatur, ne securus instetur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat sanitatis, ubi nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur.* Idem pariter dicendum est de privatione hujus potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum, nempe relictam illam ad agonem, & ad humanam superbiam contumendam; undè concupiscentia, & privatio ista veluti sceleratæ homini infidiantur, ac mutuo se jvant, ex concupiscentiâ enim inclinante ad peccatum impotentia, & infirmitas standi in bono proposito iustitiæ fovetur. Docet hoc eleganter Auctor libri 2. de Vocat. gent. cap. 28. *In cæveri verò, inquit, hominibus donec caro concupiscit adversus spiritum,*

spiritum, & spiritus adversus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non huius, sed alterius vitæ est verè perfecta, & secunda felicitas. In presentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, & ab insidiantibus superbiâ nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum, atque conatibus semper inter se nolle, & velle decerent. Hoc ipsum docuerat Sanctus Pater lib. de Dono pers. cap. 8. ubi respondens quærenti, cur fideli Deus denegat donum perseverantiæ, ait: Deus autem melius esse iudicavit miscere quosdam non perseverantibus certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi, multos enim à perniciosâ elatione reprimat, quod ait Apostolus 1. Cor. 10. Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate enim sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat &c. Hinc quæcunque contra hanc privationem obijci solent eodem prorsus modo solvenda sunt, ac illa, quæ contra pœnalitatem concupiscentiæ Pelagiani Augustino olim opponebant.

Expedienda hic est difficultas, undè tradita Augustinianæ sententiæ explicatio maximè illustrabitur. Carentia, inquit, doni perseverantiæ fuit in Adamo, nam perseverantiæ donum, ait Augustinus in lib. de Corr. & Grat. cap. 11. si habuisset, perseverasset, ergo privatio doni perseverantiæ non est pœnâ peccati, quippè quæ fuit etiam in homine ante peccatum. Hoc argumentum olim Semipelagiani Augustino obijciebant in laudato lib. cap. 10. ubi de Adamo inquit: Non ergo habuit in illo bono perseverantiæ, & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiæ, & non perseverasset? Porro si propter eam non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiæ non accepit? Neque enim dici potest, idè non accipisse, quia non est discretus à malsâ perditionis gratiæ largitate: Nondum quippè erat illa in genere humano perditionis malsâ, antequàm peccasset, ex quo tracta est origo vitiosa. Nullum argumentum neque subtilius, neque operosius illo solum unquam fuit ab Augustino, ut summi ingenii vires omnes eidem diluendo impendisse videatur, tria enim capita in libro de Correctione & Gratiâ integrè responsioni insumpsit, quorum summa est: Adamum habuisse auxilium Dei, quo proximè, & expeditè poterat perseverare, sed ita ut perseverantiâ actualis reposita esset in usu libero ejusdem ponendo ab ipsamet voluntate Adami, quam per modum habitus adjuvabat. Ad hoc explicandum ibidem duo illa capita 11. & 12. scripsit; unam & alteram sententiam dabo, ne universa huc transferam: Ut ergo, inquit, non acciperet hoc donum Dei, idèst, in bono perseverantiæ primus homo, sed perseverare, vel non perseverare in ejus relinquere arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsâ concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & bonè vindi facilitati perseverandi committeretur arbitrium: Cap. 12. Et cap. 11. scribit: Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illâ quippè eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in eâ non posset permanere, si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Itaque Adam non indigebat dono actualis perseverantiæ, quia habebat adiutorium, quo per modum habitus inerat illi

potentia proximè expedita ad perseverandum; undè Augustinus in fine cap. 12. ait: Cum & voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseveraverit habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet: non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere, quod vellet. Quare Adamo nil defuit ex parte Dei ad hoc, ut posset perseverare, sed sibi nolens defuit; nam si voluisset, facillimè perseverasset. Addit Augustinus, si Deus hoc adiutorium denegasset, Adamum, itemque Angelos non suâ culpâ cariosos fuisse, rationem assignans, adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, jam pœnâ peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. Ergo donum præbens potentiam proximè expeditam ad perseverandum traditum fuit Adamo, ita ut carentia perseverantiæ actualis non potuisset illi imputari culpæ, si eo adiutorio caruisset. Cæterum ex peccato perdidit sibi, & nobis hoc auxilium constituens potentiam proximè expeditam ad perseverandum. Quare privatio huius potentæ in nobis est pœnâ primi peccati, nam secundum gratiam datur, non secundum debitum. Tanta verò per peccatum Adæ contracta est impotentia ad proximè expeditæ perseverandum, ut si idem omninò adiutorium, quod datum fuit Adæ ad perseverandum, nobis in statu naturæ lapsæ donaretur, non esset sufficiens ad amovendam illam impotentiam perseverandi, ut docet Sanctus Doctor propè finem cap. 12. hæc tradens: Si in tantâ infirmitate vitæ huius, in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellet, nec Deus in eis operaretur, ut vellet, inter tot, & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & idè perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Ex his patet solutio propositi argumenti, negandum est enim antecedens, ut intelligatur de carentiâ potentæ proximè expeditæ ad perseverandum, hæc enim privatio in Adamo non fuit, qui habebat adiutorium sufficientissimum ad perseverandum, solumque illi velle suum defuit. At ipse & sibi, & toti generi humano subsequuto talis potentæ privationem intulit, cujus occasione tanta crimina committuntur. Hanc doctrinam fusiùs explicavi superius capite 3. Gregorius Arimensis in 2. dist. 26. q. 1. & 2. idem ex Augustino docet.

Objiciunt plures, qui licet peccatum originale in iis, quibus non est remissum, concedant esse sufficiens motivum reprobationis, in baptizatis tamen id nullo pacto dici posse existimant. Nam peccatum remissum non potest esse causa, cur homo damnetur, non esset enim remissum, si propter illud morte perpetuâ plecteretur; baptizato verò est remissum originale peccatum, & propter illud nulli pœnæ est subjectus: nec potest componi voluntas remittendi peccatum cum voluntate damnandi, & illud æternum puniendi. Sanè Tridentinum in decreto de Pecc. orig. statuit nihil damnationis esse in baptizatis, esset autem multum damnationis, si inesset aliquid dignum puniri pœnâ æternâ. Hoc argumentum pariter Semipelagiani contra Sanctum Augustinum adducebant; nam cum ille assereret, peccatum originale esse causam, cur homines universim fuerint reprobati, quos divina prædestinatio suos non fecerat, in-

inf-

inferebant hoc absurdum ex Augustini sententiâ: *Quod ab eis, qui non sunt predestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.* Hæc est enim secunda objectio Gallorum, quâ doctrinam Sancti Patris, teste Prospero, fugillabant. Respondeo, peccatum originale intulisse pœnas proprias ipsius naturæ, & has per baptismum non remitti, quarum præcipuæ sunt concupiscentia, & privatio potentia proxime expeditæ ad perseverandum in acceptâ iustitiâ, & sic nihil damnationis remanet in baptizato, prout damnatio culpam significat, non verò prout dicit pœnam. Nam ibidem docet Sancta Synodus, remanere concupiscentiam, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinât. Nullo verò pacto conceditur, hominem baptizatum damnari propter peccatum originale formaliter, & esse ratione illius ut causæ proximæ reprobatur, sed dicimus, radicaliter peccatum originale esse causam reprobationis fidelium, qui damnantur, quatenus ex illo ortum habuit privatio potentia proxime expeditæ ad perseverandum, sub quâ præciso auxilio speciali Dei homo salutem non consequitur, sed labitur in peccata, ob quæ proximè, & formaliter à Deo damnatur. Neque enim negamus, Deum reprobare aliquem ob peccata actualia, neque dicimus, Deum prius reprobare propter originale, deinde etiam ob actualia, ut opponit Joannes à Sancto Thoma disp. 10. de Reprob. art. 2. num. 30. sed asserimus, Deum immediatè damnare pœnâ æternâ hominem ob peccata actualia, in quâ incidit ob impotentiam perseverandi, seu ob privationem potentia proxime expeditæ ad perseverandum, quæ est pœna humanæ naturæ relicta ad agonem ex peccato Adæ. In baptismo verò remittitur culpa, & pœna debita personæ, quæ peccavit, non pœnalitas inflicta ex primo peccato ipsi naturæ, quod exemplo concupiscentia diximus fieri manifestum. Quare ob peccata actualia homines damnari concedit Sanctus Pater cap. 13. de Cor. & grat. in fine, ubi de reprobis loquens: *Aut enim, inquit, jacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt &c. alii magis, alii minus, sed omnes mali, & pro ipsâ diversitate diversis suppliciiis judicandi, aut Dei gratiam suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt, & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantia dono iudicio Dei iusto, & occulto.* Lege cap. 93. Enchiridii. Ex quibus colligo, taxationem pœnæ dependere à peccatis actualibus, in quæ homo labitur, quia deserit Deum, deserit verò, quia est dimissus libero arbitrio, non accepto dono perseverantia iudicio Dei iusto, nempe in pœnam peccati originalis. Cæterum homo baptizatus, licet habeat illam privationem doni perseverantia, & non sit dignus hanc habere, quia non datur secundum debitum, non est tamen dicendus illâ indignus, seu habere debitum non habendi, quomodo sunt peccatores, sed tantum non habet debitum habendi, quod debitum habebat Adam; undè non esse hujus potentia proxime expeditæ ad perseverandum, non potest dici sola negatio, sed vera privatio, quia est carentia doni aliâs debiti naturæ prout elevata ad finem supernaturalem.

Hactenus hæc pro explicandâ sententiâ Sancti Augustini insinuata sint, pluribus enim eandem sententiam & exponunt, & defendunt eruditissimi Theologi Ruizius, & Gonetius laudati. Undè nescio quo

pannico timore percussus illam Adamus horruerit, accusans eandem tanquam matrem Calvinianæ hæreseos; quod quidem attentius considerans, arbitror illum intellexisse errorem satis notum, nempe in baptizatis verè remanere peccatum originis; etenim si post baptismum adhuc fidelis potest reprobari ob peccatum originis, non igitur est deletum, & remissum, cum aliquid remaneat in renatis, ob quod æternum damnentur. At hæc erat vetus calumnia, quam Semipelagiani, ut ex Prospero diximus, Augustiniana sententiâ inferebant, à quâ eandem procul esse ostendimus. Longè verò abest Sanctus Doctor à Calvinistarum sententiâ, isti enim putant, ipsam concupiscentiam esse formaliter peccatum originis, quæ cum remaneat post baptismum, dicunt non fuisse deletum peccatum, sed reatum, & non imputatum. At Sanctus Doctor non const tuit in ipsâ concupiscentiâ essentiam peccati originalis, sed in reatu, & maculâ, quæ tota deletur in baptismo. Undè lib. 2. de Pecc. mer. cap. 28. loquens de concupiscentiâ ait: *Non sic manet in membris eorum, qui ex aquâ, & spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena, & perfecta sit remissio peccatorum omnibus inimicitis interfectis, quibus separabamur à Deo.* Lege Bellarminum tom. 4. lib. 5. de Amissione gratia cap. 8. id ex Augustino eruditè probantem. Hoc ipsum tamen melius, ac fufius explicat Pater Macedo lib. 4. de Clavibus Petri cap. 5. & 7. Non est igitur, cur Adamus celeberrimam Sancti Patris sententiam Calvinismi infimulet, cum Calvinus hac in re longius ab Augustino, si quis alius abjerit. Sed transeamus ad alia, sui que consilii causas adversario dimittamus.

S. IX.

An erraverit Augustinus docens, occasionem graffatoris mortem intentantis non esse licitam?

Ultimum, quem Sancto Patri errorem objiciunt, in examen vocamus; inquit enim, eundem dixisse: *Haud licitum esse occidere graffatorem, qui nobis velit vitam eripere.* Est Adami contra Augustinum accusatio cap. 3. pag. 585. Disputat Augustinus lib. 1. de Libero arbitrio cap. 5. possint-ne citrà culpam interfici hostis irruens, vel insidiator scarius, sive pro vitâ, sive pro libertate, sive pro pudicitia? Postquam dixit lege Romanâ graffatores posse impunè occidi, dum vitam alteri stricto mucrone auferre tentant, ait: *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Ex his Augustini verbis in varias sententias gravissimi scriptores abiire. Multi putarunt, Augustinum negasse, esse licitum occidere in vasorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quorum nonnulli tanti Doctoris auctoritate moti eandem sententiam subscribere, vel saltem probabilem existimarunt. Augustinus Triumphus Anconitanus insignis Theologus Augustinianus in libro de potestate Ecclesiasticâ quæst. 52. art. 3. ponit, & probat hanc conclusionem: *Puto, quod culpa sit hominem occidere, ne ipse occidatur, quacunque inevitabili necessitate hoc fiat.* Ad hoc est, addit, auctoritas Augustini in pluribus locis. Primo de libero arbitrio dicentis &c. Tostatus illud ingeniorum monstrum in cap. 5. Matth. 9. 109. recitatâ sententiâ Triumphî, & oppositâ, quæ est communior ait: *Utræque istarum positionum videtur aequaliter ra-*